



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

- ii. Principia intrinseca corporis naturalis in fieri per mutationem sunt
Materia, Forma, Privatio.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

stitutivum essenziale physicum) fiunt omnia
 Unde nec materia est principium formæ; licet enim hæc, si materialis est, fiat ex materia eductivè, non sit tamen ex ea compositivè, tanquam ex principio elementari inexistente materiæ: neque partes integrantes sunt principia totius, quia ad principium elementare requiritur, ut sit pars essentialis totius: neque elementa sunt principia mixtorum; quia & ipsa componuntur ex materia & forma, in seipso non inexistunt mixtis formaliter.

II. Principia corporis naturalis in fieri per mutationem, seu principia generationis, quantum est mutatio, terminativè accepta (generationis enim seu mutationis causaliter acceptæ, sive ipsius actionis generativæ, ut pote entitatis omnino simplicis, nulla dantur principia intrinseca physica) sunt tantum tria: *Materia, Forma, Privatio*. Ratio est quia tot præcisè sunt partes elementares seu constitutivæ hujus totius, quod dicitur corpus naturale in fieri per mutationem, seu generatio mutativa terminativè accepta, & definitur; esse transitus à non esse formæ ad esse formæ; hic enim est necessariò subiectum, quod transit, & hoc est materia; e

term

terminus privativus, à quo transit & is est
privatio formæ (ut enim materia censeatur
mutari, seu corpus naturale fieri per muta-
tionem, essentialiter requiritur, ut produca-
tur aliquid, cujus privatio immediatè ante
inerat materiæ) est deniquè terminus positi-
vus, ad quem transitur, & hic est forma: quæ
licet sit quid posterius generatione causaliter
acceptâ, utpote per quam producitur, non
est tamen quid posterius generatione adæ-
quatè, & objectivè seu terminativè acceptâ;
hujus enim pars est intrinseca, & non effe-
ctus, adeoque principium. Hinc liquet, præ-
ter hæc tria constitutionem hujus totius non
ingredi carentiam veteris formæ, cum vera
adhuc intelligi queat mutatio, etsi forma
nulla præcessisset in materia, aut etiam for-
ma vetus cum adveniente nova perseveraret.
Neque dispositiones; nam & sine his subsi-
stit mutatio, in quo casu tamen principia-
ret privatio remota. Mirum autem non est,
quòd privatio, quæ est non ens, unâ cum op-
posita sibi forma constituat hoc totum,
quod ex parte tantum est positivum, item
quod est successivum, partesquè suas habet
unione physica non unitas; ad hæc ratio

principii abstrahat ab ente & non ente, adeoque utriusque sit communis. Quod si Arist. privationem vocat principium per accidens, respectu corporis naturalis in facto esse vult esse talem.

III. Principia corporis naturalis in facto esse sunt hæc duo tantum, *Materia & Forma*; ex his enim duobus tantum componitur corpus naturale in facto esse. Nam substantia non requiritur ad corpus naturale complendum in ratione corporis naturalis, sed tantum in ratione suppositi; imò dici potest, substantiam materiæ cum materia, substantiam formæ cum forma constitutere unum totale principium; Unio autem, cum sit ratio formalis, per quam dicta duo principia in actu secundo principiant, non magis diversum ab iis constituit principium, quam actio seu causalitas causæ efficientis constituat principium extrinsecum diversum à causa efficiente.

